



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Wicterpvs Episc. 8. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

8. April. VITÆ S A N C T O R U M . 179

ceam panis in os AIBERTI indidit, quā exinde cibī
inopiam annis duobus & viginti, duobus minūs
bibendi desiderium sustentavit. Cilicio corpus,
imò innocentiam tegebat; neque enim castitas
tutius habet involucrum. Centies quotidie pro-
cumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis
iterabat. Scanno solōe somnum excipiebat, in-
gratum naturæ exactorem & pretiosi temporis fu-
rem multandum, non mulcendum existimans.
Multos à devio in semitam virtutis, histrionem
adeò, cuius quenam odæ mutandi statūs occa-
sionem præbuerant, revocavit; facilis audiendis
pœnitentium criminibus, plusque patris quam ju-
dicis adferens ad tribunal. Vitâ ad hunc modum
in annum quinquagesimum prolatâ, rebus huma-
nis eximitur anno M. C. XXIV. & nunc quoque
non nisi uno cibo pascitur, ASPECTIV DEI. Ex Sur.
& Lippel.

Inter pressuras & arumnas ad illum semper ocu-
los erige, qui te paratus est, post flagella, dulcedinis
sue gremio consolare; qui te post turbines & procel-
las in supernæ quietis amœnitate constituet, & ab
oculis tuis lacrymas linteo consolationis absterget. S.
Dam.l.8,ep.6.

S. WICTERPVSE EPISC. 8. Aprilis

D E WICTERPO Gallia contendit & Bojaria.
sed cælum pridem litem diremet, cùm sibi il-
lum vindicavit verior patria. Pontifex Augustæ,
fundum, quem ad Iulias fauces habebat, Eptati-
cum, DD. VIRGINI & Laurentio donavit, locum-
que eum velut ad sanctiores ferias Tusculum ha-
buit, frustra Henrico Antistite etiam mortuum
inde

inde auferre admittente, cū vel MARIA WICTER-
PVS suum nollet dimittere, vel WICTERPVS à
MARIA suā nollet recedere. Templum quoque
D. Afræ, quæ inter Hungarorum populationes al-
teras penè flamas passa est, è cineribus in pristi-
num splendorem erexit. Vos qui sacra manibus
tractatis, unum audite & exhorrescite. D. Herluce
virgini à morte tam fuit familiaris, ut quoties ferè
ad epulum sacrum iret, comes iret aut dux WIC-
TERPV. Fortè solam Herluca se credidit inter
preces. Sed sola non fuit. Adfuit cum WICTERPO
CHRISTVS, triste oculo amantis spectaculum &
verbo ipsissima Pilati scena. Nihil hic, tantum la-
rimæ & gemitus loquebantur, & nimis tot
ora quot vulnera clamabant. Illud etiam WIC-
TERPV ad Herlucā addidit: *Ad hanc formam Spon-
si expallescis soror? illa; emorior.* Ille iterum: *Cu-
pis ab oculis theatrum crudelitatis hoc amotum?*
Illa iterum: *ah! percupio.* Ergo, subjicit WICTER-
PV, oculos nega Richardo sacrificanti, cuius impu-
ritas carnifex est sponsi tui. Audiit, abstinuit ab im-
puris sacris, idemque ut vulgus faceret, auctor fuit.
Oætas nostra! ô sacra! ô Sacerdotes! eja dicite;
oculos hominum à vobis si abducunt Superi, qui-
bus ipsi vos aspicient, nisi iratis? *Ex Bav. S.*

*Si non solum anima, sed & corpus nostrum tem-
plum est Spiritus S. quomodo is, cui prohibetur car-
nale commercium, non violat templum Dei, dum
semetipsum petulantī luxuria proflibulum con-
stituit, Spiritum S. in quo signatus fuerat abicit,
spiritum libidinis inse introducit? S. P. Damian.*
¶ Ep. 3.

S. MA